





Vol. xxiv. fol. 37.

31 Nov

QVOD DEVS BENE VERTAT!  
IN AVGVRALITER 1709  
**J V D I C E M** 11  
IN PROPRIA CAVSA  
EX DECRETO  
*MAGNIFICI*  
**JCTORVM ORDINIS**  
IN  
*ILLVSTRI NORIBERGENSIVM,*  
PRO CONSEQVENDIS  
SVMMIS IN JVRE HONORIBVS,  
DISSERET IN PVBLICVM  
**GEORGIVS CHRISTOPHORVS**  
**WOELKER,**  
NORIB.

A. 1709. D. SEPT. L.S.T. 1.23

Literis MAGNI DANIELIS MEYERL.

600 DIES ERNE VERPÄT

IN AVGUSTI TERRA  
TADICEM  
IN PROPRIA CASA  
EX DECERETO  
SACRAE  
ICORVM ORDINES  
IN  
VITÆ ADOPTATIONI  
PRO CONSOLATIONIS  
SUMMI IN URB HONORIBVS  
HESSE ET IN HALLICAN  
GEORGIAE CHRISTOPHERVS  
WÖFFLER  
NORVI  
1532. SEPTEMBER 25.  
THIS LIBRARY BELONGS TO THE UNIVERSITY OF SAXONY-ANHALT

ratu  
que  
feda  
indi  
ptan  
lent  
gan  
inte  
duc  
quo  
pro  
li  
ve  
rue  
tun  
et  
di  
fa



## P R A E F A T I O .



*U*id ut plurimum fieri amat , ut Dissertationum Autores sub frontispicio statim causarum titulos edant , quibus moti hoc vel illud Thema elaborandum sibi sumferint , id ego , nisi singularis rationibus suadeat , superfluum duco . Omnes enim norunt , esse hoc ex statutis Academicis , ut adspiciatur ad honores Doctorales edito specimine , cuius tenor utcumque ex Autoris arbitrio et Superiorum approbatione dependet , profectum suorum fidem publice faciant . Pari modo id ociosum , inopportunum est , quando lectorum benevolentiam phaleratus verbis captant : si enim solidae elaboratio est eruditio , absque illa benevolentiae captatione applausus inveniet ; sin vero ea censoriam virgam meret , ineptum erit , formula ex trivio petita lectoris judicium intervertere velle . Id ego potius praefationis loco significandum duco , quod , cum de Judice in sua causa hic sermo sit , obseruandi quoque sunt diversi ejus sensus . Judex in propria causa sumitur vel proprie vel impropre . Proprie sumitur vel consideratus ex civili vel naturali hypothesi . Ex civili est persona potestatem controversias dirimendi secundum LL. civiles ex concessione Imperantis , vel privatorum , ut arbiter habens , inq. suis causis judicans ; naturaliter vero est vel arbiter , vel judex generalis , consensu partium , etiam Principis , aut Gentium , vel a summo Imperante constitutus , et secundum naturales rationes judicans . An obtineant tales Judices , hoc in ipsa tractatione sequetur . Impropre Judex in sua causa iterum diverse sumitur , primo quidem pro illo , qui ultiorem sumendo

mendō sibi ipsi jus dicit, et quidem vel liceite vel illiceite. Liceite  
 vel ex legum concessione, quando v. g. fur nocturnus occiditur,  
 possessionem vi aggrediens vi repellitur, uxor in adulterio preben-  
 sa interimitur, vel ex speciali privilegio, quale fuit illud Ludo vici  
 IV. Ba v. Noribergensis datum, de mergendis in Pegnesum filiis  
 suis immorigeris. Illicite sibi quis Judex improprie in sua causa exti-  
 sit, v. g. per praeium singulare. Alio modo improprie Judices in sua  
 causa dici possunt, qui v. g. criminis capitalis accusati sibi ipsis mor-  
 tem conscrivere, qui per contumaciam absentes pro confessis et con-  
 vidis declarati sunt, qui cum petitiones suas in Judicio non proba-  
 runt, causa cadunt, omnesque, qui deliquerunt, consci poenae de-  
 litis suis debitae, aliquip plures. Hos si omnes huic tractationi in-  
 seri voluisse, ea projecto limites opellae Inauguralis superasset, tum  
 quoque de vindicta privata, quae similiter hujus loci esset, integra  
 extant volumina. Ergo Judici in sua causa proprie sic dicto tan-  
 tum haec elaboratio est dicata. Quam cum quoad primum caput  
 absolvissim, confectui meo se obtulerunt Dissertationes duae, una  
 Altdorfi habita de iurisdictiva, altera Illustris Cocceji de Judice in  
 sua causa Heidelbergae defensa. Sed uti prima argumentum meum  
 non feriebat, quippe de vindicta privata conscripta est, ita in al-  
 tera quoque, quamvis sublime judicium et solidam eruditioinem ubi-  
 que spirabat, ob brevitatem suam, utpote duabus schedis con-  
 stat, plura deesse videbantur supplenda. Accessit ergo bac in Dis-  
 sertatione primum integrum caput, sicut et tertium, quarum tra-  
 cationum in Dissertat. Cocceji nulla vel obiter saltem fit mentio.  
 Secundo capite continentur tractatio Judicis in voluntaria Jurisdi-  
 ctione occurris in sua causa, de qua nibil apud Coccejum: non  
 nulla quidem ab illo petii, allegato tamen semper bona fide Autore,  
 ut igitur neminem putem inveniri, qui me eo nomine incuset, cum  
 binas elaborationes publici Juris sint, ad quarum collationem  
 audacter provoco. Haec sunt, B. L. quae paucis  
 te volui.

B. C.

## CAPVT I.

## §. I.


 Tractationem de Judice in propria causa ipsam eo felicius ut aggrediar, inveniendus ante omnia est ordo, secundum quem commode et accurate ea possit institui. Nauseat nostri seculi genius scripta quadrata rotundis miscentia, et confusum aliquod Chaos exprimentia, et autores, qui suo Pegaso prope caudam loco capitinis frenas injiciunt, detestatur. Quanquam non defuit ævum, quo mentem suam induxerunt Scholaſtici, quantitate schedas suas non qualitate esse aestimandas, ordinemque singularem in singulari confusione esse quaerendum, tum quo obscurior in scribendo quis esset, eo futurum clariorem. Ordo autem, nisi fallor, in ipso re quaerendus est, si planior et aptior sit producendus. Quod si enim ad methodum aliunde quæſitam thema aliquod cogendum sit, et naturalis ordo perit, et multa obtruduntur tractationi minus convenientia, connexa dilacerantur, necessaria vel plane non, saltem summis labiis tanguntur. Quod in Tribonianii methodo aliisque pluribus et applicatio et experientia ostendere. Se ipsum hic nihil videtur ordo offerre, scilicet Judex in propria causa sistendus est. Nemo non videt, dari hie terminos ante ipsam tractationem explicandos. Decantandi hi ergo sunt ex consuetis J. Ctorum carminibus, et præcipue cum in conclusionibus specialibus jacto nisi fundamine feliciter procedere non liceat, in vocabula Judicis, Jurisdictionis et Causae eorumque distinctos conceptus, additis et separatis ubique J. Naturae et Civilis positionibus, sedullo erit inquirendum. Caput I. ergo erit præparatorium, sequetur sedes materiae t. t. Cod. ne quis in propria causa etc., ejusque explicatio, ut inoffenso pede dein ipsam tractationem aggredi liceat. Caput ergo II. hanc sifstet, et cum Judicis partes circa triplicem Jurisdictionem sint adimplendae, voluntaria

riam, contentiosam, et criminalem, tribus distinctis partitionibus videbimus, in quantum Judex in propria causa triplicem, ut modo est distincta, Jurisdictionem incurere possit. Ob continentiam causae accident Cap. III. Principes in sua causa Judges, tum gentes et Republicae, Collegia et Universitates in propria causa contra alias judicantes, quae tractatio ex Jure universalis repetenda, cum in praxi occurrat, non potest non esse utilissima.

## §. II.

Deflectimus ad specialia, et quidem ad ipsum Judicem. Doctrina de Judice omnibus gentibus communis est, igitur ex principiis Romanis tantum eam repeti necesse non est, cum generalia circa Judicem observanda ex indole civitatum intelligentur. Definitur Judex, quod sit persona, potestatem causas controversas dirimendi ex concessione Imperantibus vel privatorum consensu habens. Tit. *Jur. Univ. I. 8. cap. 10. §. 1.* Intelligentum hoc de Judice generaliter accepto, sed Laut. *Comp. tit. de Jud.* Menck. *Tab. ff. tit. de Jud.* aliqua definitionem hanc quoad primum membrum etiam civili Judici applicant. Sed cum ita inter Judicis attributa potestas definiendi tantum posita sit, respectu scil. ad jurisdictionem, quam contentiosam vocant, habito, insufficiens ea mihi videtur, cum ex hypothesibus civilibus Judicis officium et citra causarum compositionem in voluntaria scil. jurisdictione occurrat, v. gr. in insinuandis ultimis voluntatibus, adoptione, emancipatione. Praeterea et Judicis officium circa criminalia et quandoque civilia in puniendo consistit, quod etiam si sub phrasi causas controversas componere, comprehendi velis, nimis tamen laxa est significatio, quam ut commode locum invenire queat. Amplianda igitur haec erit definitio, hunc in modum: Judex est persona potestatem causas controversas dirimendi, actibusque coram se deductis fidem publicam conciliandi, praefcriptisque casibus puniendi habens ex concessione Imperantibus. Si ex consensu privatorum quis jus suum natus est, arbiter dicitur, et eadem cum Judice descriptione includi potest, nisi quod actibus apud se deductis arbiter fidem publicam non

non impertiatur. Jam si consensus privatorum constitutat arbitrum, num primi Principes, et omnes electiti, in quos consentientibus Patribus familiis una cum imperio causas controversas decidendi jus translatum est, tanquam arbitri judicarunt? Sed neganda est quaestio, cum consensus in jus dirimendi controversias primario non sit datus, sed in potius jus scil. Majestatis, ex quo dein una cum aliis regalibus haec potestas dependet. Sed redimus ad propositum. Jūdex naturaliter consideratus ratione potestatis sibi commissae potest esse delegatus et non delegatus, item perpetuus vel ad tempus datus; ratione ordinis, inferior et superior; ratione fori, competens vel incompetens; ratione personae et aliorum accidentium, habilis et inhabilis, aut suspectus. Porro ejus constitutio ex definitione jam colligi potest, scil. oblatione summi Imperantis fit Jūdex, secuta ramen ipsius Judicis acceptatione, post quam in constituto occurrit obligatio administrandi fideliter officium, et potestas cognoscendi. Modi, quibus impeditur subire munus hoc in totum vel ad tempus, ut plurimum naturales sunt, v. gr. si suspectus sit, si aetas tenera vel imperitia juris ei obstet. Itidem modi, quibus plane deficit, naturales sunt, ut mors, superveniens sermonis et auditus defectus, translato jure belli ad alienam gentem ab Imperante Jūdicem constitente Imperio, et forte plures, quae omnia hactenus dicta ex indole constitutarum civitatum fluunt; confirmantur etiam maxima ex parte per civiles positiones, nisi quod l. 57. ff. de re jūdic. minorem 18. annis ab officio Judicis excludat. Quoad coecum Judicem distinguunt quidam, an coecitas supervenerit constituto jam in officio Jūdice, an vero coecus munus Judicis ambiat. Priori casu admittunt eum per l. 6. ff. de Jūd. non vero altero casu a. l. 1. §. 5. ff. de postul. Menck, Tabb. ff. tit. de Jūd. Verum haec opinio ex adducta lege demonstrari haud potest, et cum Jūdex coecus officio suo quanquam difficilius, eodem tamen cum effectu, praesertim si Assessoribus stipatus sit, fungi possit, coecum munus Jūdicis ceteris paribus ambientem ob coecitatem solam repellere non debere putem per alleg. LL. Dn. Stryck. Vñ Mod. Tit. de Jūd. §. 7. distinguit, an Jūdex etiam Magistratum gerat, nec ne, priori casu illum

Ium non admittit, sed posteriori tantum, quia autoritatem Magistratus vultus integritate stipatam esse convenit. Ratio haec quam in se considerata adeo praegnans non est, videtur tamen in *l. i. §. 5. ff. de postul. fundata*, nihilominus cum Magistratum constitutio ab Imperantium arbitrio hodie dependeat, hinc eam ex domesticis rationibus, non obsoletis Rom. legibus repetendam et ad latam distinctionem attendendam non esse crediderim. De illis, quibus clausa per totam vitam contigerunt lumina, nulla est quaestio, his enim deest rerum propositarum ideas formandi facultas. Porro in Judice delegato Jus Canonicum annos XX. requirit *c. 41. X. de offic. Jud. del.* Et quod peritiam juris concernit in Judice requisitam, eam hodie multis ex partibus negligi videmus, cum per Assessores et JCtos sublevari queat, praesertim ubi moribus Jurisdictio Patrimonialis invaluit, qua etiam feminae investiuntur, quarum tam in Jure prefectus raro tanti esse solent, quanti muneri huic rite subeundo requiruntur. Jus Civile quoque competentiam Judicis pro variis fororum respectibus decernit, de quibus alibi, et certius definit, quando suspectus sit nec ne: Denique officio ejus, quod distinguitur in id, quod proprio motu vel ad nudam implorationem interponit, et in id, quod ad institutae Actionis normam exercet (quibus Dd. nomina officii nobilis et mercenarii circumponunt) varios effectus tribuit, quorum usus per omnes actiones et libellos se diffundit.

### §. III.

Restant pauca de arbitro dicenda, itidem plane naturalia. Arbitrus est persona ex consensu privatorum potestatem controversias eorum decidendi habens. Ad habilitatem arbitrii communis ratione sanae mentis usus, causaeque ventilandae peritia requiritur. Constituitur autem oblatione partium litigantium, et facta ad lites componendas requisitione, quod cum sit humanitatis officium, ultra fluit, arbitrum non posse cogi, sed ejus consensum requiri. Ut ius ejus non nisi ad dati consensus modum aestimare licet, ita ex eodem consensu ceterae conclusiones fere dependent, scil. quod arbitr

ter

ter datus de delictis publicisque iudicis non possit pronunciare, utpote quae extra consensum partium sunt, quod ipse arbiter, non aliis pronunciare debeat, quod partes ejus sententia stare debant, eaque lata ipse arbiter definat, et plures aliae. Interim tamen Jus Civile has communes rationes non admittit ubique, sed restringit quandoque et supplet. Excludit quippe ab arbitri officio, 1) servum *l. 7. §. 1. ff. de recept. q. a. r.* 2) minorem *20. annis l. 41. ff. eod.* 3) Feminas *l. f. C. de recept. arb.* quod Jus Canonicum tamen limitat, nisi iurisdictione gaudent *c. 4. X. de arb.* 4) Judices causae ordinarios (quod tamen *de Jur. Can. c. 7. & 10. X. de arbitris*, et moribus secus Brunnem. *ad l. 9. §. 2. ff. de recept. q. a. r.*) ne, si arbitrio neglecto pars altera alteram convenit, in id, quod ejus interest, Judex suspecti postuletur. *l. 9. §. 2. ff. de R. q. A. r.* qui omnes tamen naturaliter ad arbitrium dicendum habiles erant. Porro de Jure Civili, si in alium non sit conventum, observandus est arbitro ordo judicarius *l. 1. ff. ibid. exceptae suo ab arbitrio sunt causae restitutiois l. f. Cod. ubi & apud quem cogn. matrimoniales c. 9. X. de in integrum rest. res judicatae c. 11. X. de arb. Menck. Tabb. ff. b. t.* quod admittendum tamen haud est, nisi publicum hoc impedit interesse. Capitulum allegatum ex rationibus papalibus est compilatum, hinc apud Protestantes valore suo destitui tamdiu merito afferitur, donec specialis ejus receptio doceatur: Quæstio enim erat, an compromittentibus partibus, lata ab Apostolico Legato sententia a Duce Veneto possit rescindi. Quod si admisisset Pontifex, suppeditasset telum, quo ipsum jugularent Principes seculares, concessio medio, quo sententias a se suisque latas impune eluderent. Quare verius esse reor, et in re iudicata interponi posse arbitrium. Fac enim Judicem in iudicio familie herciscundae fundum minus commode in duas partes actori et reo applicandas divisisse, qua divisione neuter sit contentus, quis arbitro novam divisionem faciendam committere eos impediet, cum rerum nostrarum libera nobis sit dispositio, et quilibet favori pro se introducto renunciare possit, nullumque hic versetur interesse publicum. Peculiares arbitros

Germanus mos agnoscit, quos Austregas vocant, qui sunt arbitri consensu Statuum Imperii invicem litigantium secundum LL. fundamentales constituti, ut causas inter eos controversas in prima infantia definitant, de quibus vid. Schvyed. *J. ad J. P. part. ffec. sect. 2. c. 17. §. 4.* Tit. *Jur. Publ. l. 7. c. 3.*

*S. IV.*  
Vidimus Judicem, cui latiori significati etiam arbiter incluebatur. Nunc quid Judici competat, amplius dispiciendum est. Vocatur id communiter Jurisdictio, cuius generalia, quamvis ex communi ratione fluant, ejus tamen penitior cognitio ex Constit. Civilibus hauritur, cum exercitium jurisdictionis cujusque Reipublicae indoli sit aptatum, ut itaque civiles leges hanc circa materiam locum sibi maxime vindicent. Est autem jurisdiction, definiente Laut. *Comp. ff. tit. de jurisdictione publica* juris dicendi potestas, et secundum Ludovicum *in novissima ff. doctrina eod. tit. publica* juris dicendi potestas de causis controversis cognoscendi, illas per sententiam definiendi, et rem judicatam exequendi. Sed hic iterum repetenda sunt, quae §. 2. circa definitionem Judicis observavi: si enim quis species jurisdictionis hoc modo descriptae generi suo aptabit, facile inveniet jurisdictionem, quam voluntariae vocant, huic definitioni minime includi posse. Dantur enim casus voluntariae jurisdictionis, in quibus nihil controversi esse potest, et Judici nil relinquitur, quam facultas arbitris coram se deductis fidem publicam addendi. Apud Romanos vox jurisdictionis non nisi civilem notabat jurisdictionem, et mero imperio contradislinguebatur *l. 3. ff. de Jurisdictione*, sed observarunt jam Dd. hodiernae jurisdictionis compar gem e ruderibus Romanorum eruendam non esse Stryk. *Vs. Mod. tit. de Jurisdictione. §. 1.* Tit. *Ols. 39. ad Laut. Comp. ff.* utpote quorum doctrina hanc circa materiam et obscura satis, et suae Reipublicae indoli aptata, nonnisi magnis cum incommodis alienae Reipublicae potest applicari. Differentia enim erat apud Romanos inter Judicem et Magistratum, quorum officia apud nos utcunque conjuncta sunt.

Judex,

Judex, qui dicebatur pedaneus, jurisdictionem non habebat, sed erat Ictus privatus, cui praetor has illasque causas delegabat, et ita illi nuda notio competebat. Huber. *Prælect. ff. Tit. de Jurisdict. n. 2.* Ludov. *doctr. ff. tit. de Jurisdict. §. 2.* Magistratus autem i. e. Praetor exercebat jurisdictionem, quam ocoia subtilitate Romani in jurisdictionem in specie sic dictam (quae continet causae cognitionem a. l. 52. §. 2. ad L. Aquil. haec Ictis privatis utcumque committebatur, et decisionem l. 3. ff. de tut.) et in mixtum imperium distinxerunt, seu potestatem publice judicata in causis civilibus modica coercitione exequendi v. g. multæ indictione, personæ captione etc. Et haec quidem est civilis jurisdictionis ordinaria, cui apud Romanos opponebatur extraordinaria, quam interponebat Judex in casib⁹, qui sine manifesta contradictionis nota ab ejus officio removeri poterant, et ad quos ergo specialis legis concessio requirebatur, v. g. Tutorum datio l. 6. §. 2. ff. de Tut. Hujus distinctionis hodie nullus est usus. Ludovici *Doctr. Pandit. de Jurisdict. §. 4.* Civilis porro jurisdictionis intuitu eorum, qui ei subsunt, dividitur in voluntariam et contentiosam. Illa exercetur in partes volentes, ut plurimum auctoritatis interponendæ gratia v. gr. in insinuatione ultimæ voluntatis, interdum tamen et cum cognitione v. g. in casu §. 4. f. que et quibus ex causis manum. et contentiosam, quae in invitato exercetur. Haec distinctione, quamvis in se obtineat, hoc tamen incommodum habet, quod cum liberum sit, quemcunque Judicem etiam alias incompetentem in jurisdictione voluntaria adire, in locis, ubi diversæ jurisdictiones concurrunt, occasio maximis altercationibus præbeatur, cum plures casus controversi sint, an ad voluntariam, an ad contentiosam jurisdictionem referendi sint. Tit. *Obs. 39. ad Laut. Comp. ff.* Ratione acquisitionis adhuc distinctione subest inter principalem et minus principalem, quorum illa suo jure, haec alterius beneficio competit l. 5. l. 6. ff. de Jurisdictione. Subdividitur minus principalis in mandatam, qua mandatarius jurisdictionem vice mandantis exercet. l. 3. de offic. ejus cui mand. est Jurisdictio. et prorogatam, quae ex par-

tiūm conventione vel legis dispositione Judici alias incompetenti tribuitur, v. g. quando civis Academicus in foro urbano reconvenitur, et vice versa. Ratione causarum ventilandarum jurisdictioni civili opponitur adhuc criminalis, quae apud Romanos merum imperium dicebatur, et primum penes populum erat l. 2. §. 10. ff. de Or. Jur. postea speciali legis concessione in magistratus etiam delata fuit. l. 1. §. 1. de Off. ejus cui mand. est jurisdictio, quam tamen mandare non poterant, nisi propter adversam valetudinem aut justam absentiam a. l. 1. pr. tit. eod. quas binas rationes Laut. Comp. ff. tit. de Jurisd. lit. D. etiam in mandanda hodie jurisdictione criminali requirit, nullis aliis admissis per art. 2. Ord. Crim. recte a Stryck. in notis ad b. l. capropter notatus et refutatus. Mores Germani, quid has circa distinctiones addant, admittant et corrigan, recenset Stryk. Vs. Mod. tit. de Jurisd. §. 3. Tit. Jurispr. Univers. l. 8. cap. 10. Hodie scil. jurisdictione secularis in altam et bassam dividitur, quae ultima continet causas tantum civiles, in quibus ad merum interesse privatum agitur, alta vero et Criminalia complectitur. Obtinet etiam de moribus jurisdictionis distinctio in personalem, quae ad dies vitae certae personae competit, et in realeme sive patrimoniale, quae cum in patrimonio sit, etiam ad singulares successores transiret. Hujus mentio fit c. 4. X. de arb. Occasione Papatus inter jurisdictionem ecclesiasticam et secularis incognita Juri Civili distinctio enata est. Secularis iterum pro varietate objectorum in centum species diuidi potest, v. g. in jurisdictionem circumspectam, die Zaun-Gerichte / feudalem, forestalem, militarem etc. quae omnes ex Principum arbitrio, regionumque moribus dependent.

## §. V.

Judex in rubrica Dissertationis hujus occurrentis pro ratione tractationis preparatoria sufficierter est dilucidatus. Restat adhuc vocabulum causae, cuius quis sit in jure significatus, quidque alias notatu dignum hic occurrat, paucis addendum. Causae vero vox in jure sumitur varie. Notissimi tamen significatus

hi

hi sunt: Quandoque vocabulo huic nativa significatio relinquuntur, e. g. in *Tit.* *J. qui et ex quibus causis manumittere non possint.* *tit. ff. quibus de causis in possessionem eatur.* Deinde sumitur causa pro titulo alicuius juris. vid. *I. 32. ff. de reb. aut. Jud. poss. vel vend.* v. g. debet hoc ex causa mutui. Porro sumitur pro jure et conditione rebus inherenter, v. g. quod res non sit vitiata, non usucapta. Hoc modo ex parte intelligendus *Tit. ff. de Vsur. & Frustr.* et omni causa. Eadem ratione explicatur *L. Foramen. 28. ff. de serv. urb.* in qua dicitur, servitutem perpetuam debere habere causam, i. e. servitutem conditionem talem esse oportere, ut illis perpetuo uti liceat. Restat adhuc vox Causa in alio sensu sumta, scil. pro omni commodo et utilitate ex re percipienda, prout eleganter id expositum est in *L. 20. ff. de R. V.* Denique sumitur vox Causae eo sensu, quem hic supponimus, pro lite sive privata sive in judicium deducta. Distinctionem veteres Jcti quidem observant vid. Schard. *Lex. Juris voce Causae,* inter causam et litem, scil. quod causa latius pateat, et civiles actiones et criminalia judicia comprehendat, litis vero vocabulum civiles tantum actiones a. l. 16. *C. de Transact.* verum propterea valoris nostrae rubricae nil decedit. Et cum de vocabulis lis sit, in his torquendis anxie desudare, ut miseram ita in gloriam sapit diligentiam, quapropter etiam supersedeo in reliquos vocis causae significatus inquirere, quorum adhuc possent sine dubio plures ex quisquiliis veterum erui, vid. Isidorus infelix ille *Etymologus. c. forus X. de verb. signif.* Schard. *Lex. Jur. voce Causa.* Causa igitur ex civili hypothesi non potest esse, nisi in judicium deducta sit. Et quidem haec deductio sufficit in Jurisdictione voluntaria etiam ab una parte facta. Sed in contentiosa et altera pars adesse debet, et requiritur, ut per litis contestationem judicium constituantur *L. un. C. de lit. cont. c. 30. X. de Verb. Signif.* Lauterbach. *Comp. ff. tit. de Jud. lit. D.* Constituit judicium per litis contestationem admittit quidem *Tit. Obs. 143. ad eund.* verum de antiquo processu, negat de hodierna observantia, afferens in Germania judicium constituit per ob-

lationem libelli et subsecutam citationem, quod ego accipio sub conditione, si ex postfacto, et citatus compareat, respondens ad libellum. Fac enim coram Magistratu municipali aliquem obtulisse libellum, et citationem partis adversae, Viri Egregii, impetrasse, citatum autem, quod liquet, impune emanuisse, an judicium per oblationem libelli factamque citationem constitutum dici potest? quod tamen improbatum est. Quotuplex causa in judicium deducta esse possit, hoc ex Jurisdictione divisionibus §. praecedente adductis est repetendum, utpote quarum fundamentum Causarum diversitas est, hinc et earum nomina ab objecto suo, seu causis eo pertinentibus sunt mutuata. In quantum autem speciatim causa sit propria, aut pro tali reputetur, eo cum effectu, ut Judex vel plane non adeatur, vel facta jam additione suspecti postuletur, hoc ipsi tractationi reservandum.

## CAP. II.

### §. I.

**A**D ipsam tractationem deveniendum est, praemissis capite praecedenti, quae sufficienti præparacioni necessariae duebam. Sedes materiac est l. un. Cod. tit. ne quis in sua causa judicet, vel ius sibi dicat, quae rubrica jam nigrum suum involvit. Lex vero haec est, Generali lege decernimus, neminem sibi esse Judicem, vel Ius sibi dicere debere. In re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiae. Quod habitum moralē hujus legis attinet, tantum abest, ut illum ex civilibus rationibus eruamus, ut potius eundem plane naturalem asserere nemo dubitet. Principalis ratio hujus legis est, quia iniquum est, in re propria alicui sententiae licentiam tribuere, quae ratio fundamentum suum in morali temperamentorum humanorum cognitione habet, quippe mortalium affectus eum in modum sunt comparati, ut prae reliquis omnibus quilibet se sibi proximum ducat, et ita Philautia homini connata obstet, quo minus rite judicare in sua causa possit,

sit, ut omittamus avaritiam, ambitionem aliaque, quae Judicem  
 ad male judicandum possunt impellere, cum jam sub Philautia, ac-  
 curate loquendo, contineantur. Evidet ita crude afferere,  
 nolim, omnes Judices in propria causa inique esse judicaturos,  
 saltem ex principiis communibus hoc patet, Judicem etiam in  
 sua causa bene judicare posse: quis enim justitiam a genere hu-  
 mano in universum relegabit, adeo, ut ne in uno cultore uno  
 casu invenienda esset; verum quia Hirundo non facit ver, leges  
 que disponunt de eo, quod ut plurimum sit, et singulares casus  
 non attendunt, hinc optime se habet constitutio. Quanquam  
 hoc quodammodo durum videatur, de Viris tam gravibus, qua-  
 les utcunque sunt Judices, jurejurando ut plurimum devincti,  
 suspicionem fovere, ac si propter privata commoda publico offi-  
 cio male functuri essent, tantisque flagrarent vitiis, quibus co-  
 hibendis nec jurisperandi religio sufficeret. Sed facile respon-  
 deri hic poterit, et Judices esse homines, hinc judicium esse iis  
 in sua causa prohibitum, quia jus naturae et ordo judiciarius ob-  
 stet. Id adhuc addendum, quod cum in b.l.un. C. ne quis in sua  
 caus. omnes male judicari presumantur, ea contrariari videatur,  
 arg. l. 51. ff. pro socio. Cum l.un. C. ne quis etc. coincidit etiam ex  
 parte l. 10. de Jurisdictione. vestigia quoque hujus materiae hinc in-  
 deleguntur, v.g. l. 77. ff. de jud. l. f. s. penult. C. ubi Senator. ut  
 igitur cum constitutio haec materiam specialem tangat, quae adeo  
 multis exceptionibus obnoxia non est, civiles de ea positiones ita  
 uberes, ut alibi non sint, et plura, que in ingenium judiciumque suum  
 fatigent, Dd. expedienda relinquuntur. Caeterum in universa  
 l.un. C. ne quis &c. nihil occurrit, quod dilucidandum esset, nisi  
 quod forte in rubrica differentiam observasse juvabit, quae haec  
 est: Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat: Hic contra-  
 distinguitur vox judicare, phrasij jus sibi dicere, scilicet judicare.  
 respicit Judicem pedaneum, jus dicere vero Magistratui tantum  
 competit, utpote qui gaudet mixto imperio, secundum ea, quae  
 c.I. §. 4. afferuimus. Quod porro ad sensum verborum, neminem sibi  
 jus dicere debere, attinet, is linea sequenti optime erutus est;

i.e.

i. e. neminem in propria causa licentiam sententiam ferendi habere debere. Vnde etiam patet, Judicem suspectum hoc argumento proprio non contineri, sed propter connexitatis rationem tantum huc solere trahi, sicut et illud ex principiis moralibus clarum est, Judicem in propria causa, si forte de facto existat, quandoque cum injurya injustae sententiae latorem dici posse.

## §. 11.

Negat Illustris Coccejus *Dissert. sua de Judice in propria caus. th. 4.* Judicem ullo modo in causa propria obtainere posse. I. Quia ipsa naturalis pugna obstat inter rationem Judicis et partis, tam respectu cognitionis, utpote quae tertium duas partes litigantes intervenientem requirat, quam respectu executionis, quae superiorem requirit, qui eam decernat in inferiorem. Superior enim se ipso vel pare suo nemo esse potest l. pen. ff. de Recept. l. 13. §. pen. ff. ad Sct. Trebell. II. Quia nimia suspicio adsit ex Philautia et sui ipsius studio enata, quam et nos s. praecedenti pro fundamento l. un. C. ne quis in pr. caus. allegavimus, accurateque loquendo etiam priorem causam, quoad cognitionem involvere putamus. In decidenda igitur quaestione, an Judex unquam in sua causa obtainere possit, videndum est, an rationes allegatae, quae ei obstant, removeri possint, sublata enim causa, tolletur et effectus. Verum eae removeri non poterunt: fac v. g. (fingi enim alius tenoris casus nequit) Titium Judicem laesisse Cajum adorem ex opinione sua in emtione venditione ultra dimidium, coram eodem Titio Cajum ad rescindendum contractum vel justum precium adimplendum agere. Excipere autem et probare Titium, quod Cajum non laeferit, sequipsum hoc modo absolvere, annuente Cajo et libero arbitrio a limite judicii discedente. Talis casus ex hypothesi civili ob indolem judiciorum et eorum constitutionem non poterit subsistere, si tamen barbaries et legum civilium ignorantia, eum in modo aliquo in loco obtinerent, ut casus talis revera contingat, is ipso jure nullus erit t. t. C. ne quis in sua causa jud. quanquam talis

Judex

Judez, improprie sic dicendo forte bene judicavit, quo respectu sub fin. §. praeced. adseratum est, Judicem in propria causa quandoque cum injurya injustum dici posse. Si vero casus modo ad ductus mutatis mutandis de rationibus naturalibus supponeretur, facile emerget, in casu hoc nec Judicem nec judicium propri loquendo occurrere, sed esse actionem instar merae transactio nis privatae; ut itaque optime sese habeat decisio III. Cocceji, non dari ullo modo Judicem in propria causa tam civili, quam naturali jure. Quod enim Hobbes. *de Civ. c. 1. §. 9.* quemlibet actionum suarum Judicem faciat, illud, postquam homines in so ci etatem coierunt, ultra actionum privat arum judicium, quo ex pendimus, an conductuc nobis nec ne, extendere absurdum fo ret: Grotii vero sententia, quod judicia non a natura, sed ab ho minibus sint, *l. 1. c. 3. §. 1. de I. B. et P.* non obstat, quamvis alter Coccej. *Diss. de Jud. in sua causa th. 2.* utpote quo principio stan te, nihilominus asseri potest, homines in judicia constituenda sub rationibus supra h. §. enarratis consensisse.

## §. III.

Posito itaque fundamine ulterius procedendum. §. 1. cap. 1. supra jam ordinem hujus capit is adumbravi, scil. quod tractatio Judicis in propria causa secundum tres species Jurisdictionis, vo luntariae, contentiosae et criminalis instituenda sit. Propterea autem eam selegi distinctionem, tum quia ipsa tractatio talem desiderat, utpote sibi convenientissimam, tum quia omnes qua estiones, que hic moveri possunt, suo ordine distinctas hu c re ferre licet. Accurate quidem loquendo Jurisdictio voluntaria non in totum hu c pertinet, quippe quae *l. un. Cod. ne quis in propria causa*, quam materiae sedem fecimus, comprehensa non est, nisi quatenus causae cognitionem desiderat, quod ex verbis legis allegatae, neminem licentiam in sua causa sententiam feren di habere debere, per se patet, quia tamen minus commode con nixa lacerarentur, et reliqua Jurisdictionis voluntariae positiones ob causae continentiam hic proponendae sunt. Quod igitur ad

C

Juris-

Jurisdictionem voluntariam attinet, an circa eandem Judex in propria causa existere possit, an ceps est quaestio, nec prius decidenda, quam Jurisdictionis illius voluntariae indoles penitus sit excussa. Generalia huc pertinentia *cap. prae*c.* §. 4.* innuit. Heic accuratius attendenda est Jurisdictionis illius indoles, et subnata ex ea distinctio, an Judex circa eam officio suo, cum vel sine cognitione, fungatur. Scilicet occupatur Jurisdictione voluntaria circa actus utplurimum indiferentes hominumque libero arbitrio relictos, quia tamen et hos indubitate fidei esse expediebat, hinc medium requirebatur, quo actibus illis fides publica conciliari possit. Repertum hoc est in Jurisdictione voluntaria; quia tamen minus prudentes a callidis saepelic falluntur, aliaque aliis hominibus praecudicia exinde enasci possunt, et Respublica hoc modo directae vel indirectae laesioni obnoxia est, hinc cognitione in illis actibus opus videbatur, in quibus effectus noxi modi memorati metuebantur. Et in hoc fundanda est decisio quaestionis, an Judex in voluntaria Jurisdictione in sua causa existat, ut pergendo ad specialia jam videbimus.

#### §. IV.

Scilicet si causae cognitione non requiritur in Jurisdictione voluntaria, Judex duplum sustinere potest personam, quod Dd. exempla Comitis Palatini et Notarii utcunque illustrant. Ita l. 3. ff. de *Adopt. Emanc.* filius familias Magistratus apud se adoptari et emancipari potest, quamvis post Nov. 81. lex 3. de *Adopt.* superflua videatur, cum ea novella cautum sit, ut, simulac quis Magistratus dignitatem adeptus est, ipso jure patria potestate sit solitus, ut ergo emancipatione apud se facienda opus non sit. Dein quoad adoptionem probabile non est, Magistratum se in Adoptionem alii daturum, ratione nov. 81. all. obstante: *Quia indignum legum et temporum est, manere aliquem sub potestate alterius, qui tantorum Judex sit,* id quod sit per arrogationem in casu quaestionis existentem, utpote per quam transimus in patriam potestatem l. 2. §. f. ff. de *Adopt.* l. 15. pr. l. 40. pr. ibid. Neque

Neque obstat assertioni nostrae, qui Judici duplicom personam tribuimus *l. 9. ff. de pactis*, qua difficile esse contenditur, ut unus homo duorum vicem sustineat. De moralibus enim personis res clara est, quod plures possint in uno subjecto concurrere: dein quod difficile est, non statim est impossibile. Dantur insuper alii casus, quies unum plures personas sustinere, in aprico est. *v. l. 59. §. 1. in f. ad Sc. Trebell.* cuius decisio in eo fundata est, quod eadem mulier separatam et haeredis et matris personam repraesentaverit, hinc duplicom personam unum sustinere posse, nisi vel absurdri quid inde resultet, aut expresso jure id prohibetur, recte assertur apud Brunn. *in Comm. ad ff. adl. 3. de Adopt. Emanc.* Circa hypothecam quaeritur, an Judex creditor apud se et sua acta eam consentiente debitore possit constituer. Res immobiles Judicis auctoritate hodie upplurimum esse oppignorandas, liquet *Carpz. p. 2. c. 23. def. 1. etc.* sed an ad Jurisdictionem voluntariam referenda sit constitutio hypothecae, illud dubium. Licebit nobis eam eo referre, nihil enim in voluntaria hypothecae publicae constitutione occurret, quod actionis indifferentis naturam immutet, quamquam hic consultum, imo necessarium est, quod supra *Cap. 1. §. 4.* jam monitum, ut actus hic coram Judice competente expediatur, quippe cui ob rei immobilis sicutum jus est quaesitum. Ad ipsam quaestionem determinandam quod attinet, negari ea non potest, propria enim negotia Jurisdictionem voluntariam incurrentia Judex apud se expedire potest omnia et singula, si partis alterius praejudicium non subdit *a. l. 2. ff. de off. Praet. l. 2. ff. de off. Praef. l. un. §. 2. ff. de off. Conf. l. 3. 4. de Adopt.* Sed hic praejudicium alterius partis non subest, et quamvis vulgo hic causae cognitio intercedat, ea tamen vera causae cognitio non est, sed nuda tantum revisio et requisitio facti, in evolutione libri, in quem actus illi referri solent, consilens, scil. an res creditori hypothecae in modum obliganda, alii jam sit obligata, nec ne.

### §. V.

Facili negotio et de reliquis Jurisdictionis voluntariae spe-

cibus calculum inire licebit. Sic in transactione relictorum alimentorum *l. 8. pr. ff. de trans. caustum*, ut ea semper Praetore Autore fiat; non poterit igitur Judex haeres cum legatariis alimentorum apud se transigere, praesertim si eorum conditio nem per transactionem meliorem non reddat, obstante d. l. ratione: quia facile transigunt hi, quibus alimenta futura relata erant, contenti modico praesentis. Hinc si legatarii alimentorum facta transactione stare postea recusant, frustra haeres Judex transactionem apud se factam esse excipiet. Sic et Judex tutor pupilli bona male apud se alienabit, sibi tamen consulet, si adeat alium Magistratum, qui pro religione sua aestimet, quae possint alienari et obligari debeant. *l. 1. ff. de rebus eorum q. fut. vel cur. sunt. Porro §. 4. I. quiet quib. de causis man. non pos. cavitur*, ne dominus XX. annis minor manumittat servum, quia facile Domini, quibus nondum firma satis aetas contigit, a servis technis induci et ad manumissionem persuaderi creduntur. Si obtineret itaque, ut Judex annos XX. nondum egressus, *l. 57. de re jud. servum suum emancipare vellet, quaeritur; an apud se de sua causa cognoscere posset.* Et hoc, si legibus stricte inhaerendum, negandum, obstat ratione *§. 4. I. qui et quib. de caus. man. a. §. 2. l. un. de off. Cons.* De donationibus quoque caustum, quod si illae excedant 500. solidos, apud actas eas insinuari necessè sit. *§. 2. f. de donationibus.* Si igitur Judex donationem hujusmodi sibi vel a se factam, quingentosque solidos excedentem, apud se insinuare vellet, quaestio est, an jure id fieret, et donatarius ea ratione tutus sit? Neg. iterum est quaestio, incassum enim leges hanc insinuationem non introduce runt; homines enim regulariter ad donationes proclives non sunt; hinc metuendum, ne technis dolore vel finistro rationis usu ad tam amplas donations induciti sint. Praeterea publice interest, ne cives per nimias liberalitates in paupertatem redigantur, hinc Judicis officium hic est, cavere, ne ex causa liberalitatis detrimen tum quis capiat, quod adeo se exerit, ut et jurejurando donatarius possit adstringi, ad fraudes, si de illis suspicio sit, detegendas.

gendas Brunn. ad l. 32. C. de don. hinc Judex in donatione sua excessiva cognoscens, in sua causa decideret, quod improbatum est.  
**l. un. C. ne quis in sua causa.** Secus est de insinuatione testam-  
 entorum apud acta, de qua videlicet l. 18. et 19. C. de testam. hanc  
 enim Judex apud se facere potest. Hinc nobilis Jurisdictionem  
 habens coram actis Judicij sui valide testatur Carpz. p. 3; const. 3;  
 def. 14. modo de expressa Autoris sui voluntate constet, fieri e-  
 nim potest, ut forte fortuna testamentum inter acta referatur,  
 tunc ergo erit, huic actui adhibere Scultetum et Scabinos. Bo-  
 norum possessionem edictalem l. 3. §. 14. et seqq. de Carb. Ed. apud  
 se agnoscere posse Judicem, affirmari potest a. §. 2. l. un. ff. de  
 Off. Cons. secus est in decretali l. 2. §. 1. ff. quis ordo in boni poss. servu-

### §. VI.

Delabimur ad contentiosam Jurisdictionem, postquam Ju-  
 dicem in voluntaria occurrentem satis illustratum confidimus.  
 Mencio contentiosae Jurisdictionis facta est §. 4. Cap. præc. Ple-  
 nius autem definiendo ea est, publica juris dicendi potestas, ex-  
 ercenda in partes litigantes, et ut plurimum invitata. Quod ea  
 exerceatur in partes litigantes, hoc civiles causas eo pertinentes  
 denotat; quod autem in invitatos competit, illud asseritur, ut jurisdictioni  
 voluntariae eo clarius contradistinguatur. Rei enim ut-  
 cunque judicium in hac jurisdictione contentiosa averfantur, hinc  
 fugientes audiunt l. 13. §. 2. C. de Jud. l. fin. in fin. pr. et §. 3. C. de bonis,  
 quae liber., quod in jurisdictione voluntaria non occurrit. De  
 contentiosa autem jurisdictione proprie sermo est in l. un. C. ne  
 quis in sua causa, utpote qua nemo sibi in sua causa ius dicere, aut  
 sententiae ferendae licentiam habere debet. Vocis causae signi-  
 ficatus §. 5. cap. 1. jam enucleatus est: heic quid propriae causae  
 nomine veniat, explicandum. Eleganter respondet JCtus in  
 l. 1. §. 11. ff. quando appellandum: Palam est, inquiens, eam esse  
 propriam causam, cuius emolumen vel damnum ad aliquem  
 suo nomine pertinet. Redundat inde, quod l. un. Cod. ne quis in  
 sua causa, tantum de iis causis loquatur, quae vel proprio vel

privato jure ad nos immediate pertinent, excludere autem illas, quae per consequentias et mediate tantum commodis nostris vel facient vel officiant.

## §. VII.

*L. 9. §. 2. ff. de Rec. arbitr. igitur, qua continetur, quod Judex causae ordinarius in ea causa arbiter esse non possit; ne, si postea agatur ad id, quod interest, arbitrium Judicem exequi, Judex, qui fuerat arbiter, suspecti postuletur, quemadmodum Bachov. ad p. 17. de recept. q. a. r. c. 2. n. 2. tradit, non se fundat in l. un. Cod. supra alleg. Ne quis in sua causa. Causa enim Judicis propria non est, nec damnum nec commodum immediate ad ipsum redundat. Similiter allegata modo lex non obstat, quin Advocatus ejusdem causae Judex esse possit, bene tamen id prohibent l. 17. ff. de Jurisdictione. l. 6. C. de postul. c. 36. X. de appell. Assessor quoque Magistratus in suo judicio Advocatus per l. un. C. ne quis in sua causa, potest esse. Prohibetur tamen l. 5. de off. ass. neque Judex, qui alias suspectus est, hac lege continetur, hinc minus accurate Lauterb. Comp. ff. t. de Jurisdictione. voce suspectum Judicem, quando suspectum Judicem esse adserit, qui causae commodum vel incommodum sentit, allegat saepe dictam l. un. C. ne quis in sua causa, defendantae sententiae suaec. Porro, hoc non pertinet Judex, qui causam suam fecisse dicitur l. 15. §. 1. de Jud. i. e. male judicavit, sive dolo sive culpa et imprudentia l. ult. pr. D. de var. et extr. cogn. Causam enim suam fecisse dicitur Judex, non quod causa proprio nomine ad eum pertineat, sed quod dolus et culpa ipsius efficiat, ut periculum litis sustineat, et aestimationem ejus solvat, quam cum solvit, merito suam potest dicere. Parimodo si Judex à parte una haeres denominatur, aut rei controversae legatarius l. 8. §. 3. ff. de alienat. jud. mut. cauf. f. legem un. C. ne quis in sua cauf. non incurrit, non enim sua immediate causa adest, sed haeredis est, post hujus mortem demum ad Judicem devolvenda, nihil tamen verabit, quo minus suspecti postuletur. Neque tandem Judex, qui dona accipiendo peccat, lege unica saepe*

memo-

memorata notatur , quanquam sententia ejus non aliter ac si in sua causa prolata esset , nulla est , l. 7. C. quand. provoc. non est necess. sed l. Jul. repetundarum incurrit , de qua t. tit. in ff.

### §. VIII.

Sed quem in finem haec differuntur ? Illustr. Coccejus in *Diss. sua de Jud. in sua causa th. 7. et 8.* differentiam horum recte inuit. Scilicet , quicunque Judex contra l. un. C. ne quis in sua causa , hoc est in sua causa pronunciat , ejus sententia ipso jure est nulla , non ergo opus est , ut quis restituatur , appellat , aut rescissionem sententiae petat. Imo nec praeescriptione nec consuetudine talis sententia in tutum collocari potest. Praescribi non potest , actiones enim , quae ipso jure nullae sunt , per tractum temporis validae non redduntur : consuetudine introduci nequit , ut quis in sua causa jus dicat , haec enim si jus faciat , rationalis esse debet , c. f. X. de consuet. c. mala dist. 8. quod autem contra naturalem rationem talis sit consuetudo , hoc ex §. 2. *hujus cap.* colligi potest. Judici igitur in propria causa pronuncianti impune non paretur , non fecus ac feminae arbitrium suscipienti , de qua in l. f. C. de rec. arb. et omnis processus in sua causa factus ipso jure nullus est. In casibus autem §. praeced. adducit hoc non obtinet , quippe quibus Judex suspecti postulari potest. Potest enim postulari tantum suspectus , praeceps non debet , si enim pars altera judicium apud eum inchoat et item contestatur , nulla suspecti Judicis exceptione opposita , suae negligentiae id imputet , judicioque subsistente sententia valebit can. 20. X. de sententia et rejudicata. l. ult. C. de Except. Exceptiones enim dilatoriae ante judicium coemptum sunt opponendae , l. 4. de Ju- risd. omnium Jud. tamen permittit , ut possit appellari , quod cum nihil speciale sit , poterit et is , cui à suspecto Judge sententia lata est , appellacionem interponere. Si vero et appellare intra decendum neglexit , tunc sibi habeat , nec restitui poterit , nisi sufficientes restitutioni allegare poterit causas , v. g. ignorantiam facti alieni , scientiam causarum suspicionis ex postfacto acquisi- tam ,

cam, tunc enim poterit restitu*i. l. 1. §. 1. ff.* quibus ex caus*majo*res in integrum ref*.*

## §. IX.

His praemissis et suppositis celebrem illam *l. 10. ff. de Jurisdic*tione et *l. 77. ff. de Jud.* antinomiam conciliare audeo. Insigne hoc controversiarum mare est, in quod Dd. excurrerunt, aura tamen conatibus suis minus secunda. *L. 10. ff. de Jurisdic*tione, ait Vlpianus, qui *Jurisdictioni* praef*, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, neque liberis suis, neque liberti, vel ceteris, quos secum habet.* Africani *l. 77. de Jud.* contrarium afferere videatur: *In privat*s*, inquiens, negotiis pater filium vel filius patrem Judicem habere potest.* Cujac. *tract. ad Afric.* 3. allegatus apud Huber. *Prael. ad ff. tit. de Jud.* §. 8. hos textus obstantes sic conciliat: Haec, inquit, non sunt contraria, potest, sed non debet, rectius enim fecerit, si in re patris aut filii abstinuerit munere judicandi; Uno verbo *jus*, altero *honestas* significatur; Verum ibidem eum refutat Huber, quod scilicet *verbum debet* de interna et imperfecta *Judicis* obligatione intelligendum non sit, sed de obligatione externa perfecta et necessaria, quam leges judici addunt, *hinc vox debet* idem significat, quod oportet. Significatum autem hunc esse genuinum prob. *ex l. 1. pr. ff. de Edend.* ubi idem Vlpianus sic ait: *Qua quisque actione agere volet, eam edere debet*: quod autem oporteat actorem actionem suam edere, illud liquet. *l. 4. pr. d. §. et l. 2. de Edend.* Dein fac etiam, quod significatus vocalae *debet*, non obstat, aliud momentum hic occurrit, quod nempe si afferatur *Judicem*, si honestati sua non consulere velit, in causis familiae sua *jus dicere posse*, quod facit Cujacius; afferatur etiam, quod quis in propria causa judicare possit: *propria causa enim est, cuiusdamnum vel commodum suo nomine ad aliquem pertinet.* *l. 1. §. 11. ff. quando appellandum*, quod ratione familiae ad quemvis patremfamilias, seu familiae caput, suo nomine redundat. Impossibile autem est, ut quis proprio in sua causa judicet, quod supra §. 2. est demonstratum: inde quoque et haec obstant,

quo

quo minus Cujacii sententia locum invenire possit. Altera Do-  
ctorum opinio in conciliandis textibus his fundat se in differentia  
verborum *Jus dicere et judicare*, quorum illud l. 10. ff. de *Jurisdictione*, hoc l. 77. ff. de *Jud.* continetur. Jus dicere enim, ut su-  
pra jam monitum, de Praetore, judicare vero de Judice pedaneo  
praedicatur: ergo putant Autores hujus asserti, quos citatos vide  
apud Wissenbach. ad tit. de *Jurisdictione* th. 41. repetitos apud  
Huber. *Präl. ff. t. de Jud. §. 8. l. 10. de Jurisd.* loqui de Praetore,  
l. 77. de *Jud.* de Judice pedaneo, illum non posse jus dicere, hunc  
vero posso judicare. Sed utut differentia allata bene se habeat,  
et refutatio Huberi modo allegati adeo firmo talo non stet, ut-  
pote qui contendit, quod si Praetor non possit jus dicere i. e. di-  
rigere processum, l. 10. ff. de *Jurisdictione*, quod tanti praejudicium  
non sit, multo minus Judex pedaneus possit judicare, i. e. sen-  
tentiam ferre, quod gravissimi praejudicium sit: non enim simpli-  
citer asseri potest, sententiam ferentem Judicem pedaneum gra-  
vius damnum posse inferre parti litiganti, quam illum, qui di-  
rigit processum, quin imo contrarium probabilius est, cum pe-  
daneus Judex ad formulam à Prætore praescriptam sit alligatus,  
quod bene observavit Thomas: in *Addit. ad eundem Huber.* quam-  
vis haec omnia, inquam, non obstant, si quis tamen adlatae dif-  
ferentiae in his textibus componendis adstipulari vellet, manife-  
stam et inexplicabilem antimoniām fuscitaret et legibus earum-  
que ipsissimis verbis contrariaretur. Obstat enim totus Tit. C.  
*ne quis in propria causa judicet, vel jus dicat*, inque ejus l. un.  
haec verba judicare et jus dicere sibi contradicta expresse sunt,  
et aequaliter jus dicere et judicare in sua causa prohibitum est,  
ut igitur nesciam, qua fronte Dd. in ipsis textus offenderint, et  
ut fodinam condiant, integrum aperuerint speluncam.

## §. X.

Alii, in quibus etiam Gothofred. ad l. 77. ff. de *Jud.* distin-  
ctionem inter jurisdictionem voluntariam et contentiosam addu-  
cunt, legesque sibi contrarias sic explicant, quod l. 10. ff. de *Ju-*

*risdicione*

*risdictione de contentiosa, l. 77. ff. de Judicis de voluntaria lo-*  
*quatur. Illud quidem verum est, quod in voluntaria jurisdicti-*  
*one filius patris Judex esse possit, et vice versa, quod ex antece-*  
*dentibus liquet, verum exinde non sequitur, quod l. 77. de Jud.*  
*voluntaria de jurisdictione agat. Verba in ea lege occurrentia*  
*in privatis negotiis rem familiarem et patrimonialem innuant,*  
*Hüb. Prael. ff. t. de Jud. §. 8. ad hanc autem actiones legis, quas*  
*vocant, in jurisdictione voluntaria occurrentes minime poterunt*  
*referri v. g. emancipatio, adoptio, manumissio. Restat adhuc*  
*quarta opinio conciliandi hos textus, quam fovet Huber. loco*  
*saepe citato, in l. 6. ff. de Rec. art. fundata, cuius haec verba sunt:*  
*Quin etiam de re Patri dicuntur, filium familias arbitrum esse; nam*  
*et Judicem eum esse plerisque placuit. Quod arbitre de re Patris*  
*possit constitui, hoc ex consensu alterius partis litigantis depen-*  
*det, cui forte praetudicium metuendum, si autem illa pars con-*  
*sentiat, volenti non fiet injuria. Probat JCTus hanc legis sententiam*  
*de arbitro ex simili de Judice; similis ergo ratio necesse subesse,*  
*nempe consensus partium, idem est ergo, ac si diceret: nam et*  
*Judicem filium de re patris esse, si partes consentiant, plerisque*  
*placuit. Potest igitur Pater in re filii Judex esse l. 77. ff. de Jud.*  
*si partes consentiant; non potest, si non consentiant, l. 10. ff. de*  
*Jurisdictione. Sic rem explicant sententiae Patroni. Verum ab*  
*arbitro ad Judicem minus firmum dicitur argumentum; hujus*  
*enim constitutio negocium privatum est, hinc privatorum con-*  
*senso tantum absolvitur, Judicis officium est publicum, et a le-*  
*gitibus terminis suis circumscriptum, quos privati consensu suo in-*  
*terposito auctare aut producere non possunt. Quanquam igitur*  
*conciliationem hanc ita simpliciter et crude prolatam non appro-*  
*bo, fateor tamen Huberum ex mea sententia inter reliquos,*  
*quorum opiniones adduximus, veritati proximum esse. Scilicet*  
*probe annotanda est insignis illa differentia l. 10. ff. de Juris-*  
*ditione ab altera l. 77. ff. de Jud. In prima tantum sermo est de*  
*Patre in causa filii et familie suae judicante, nil autem dicitur*  
*de filio in causa patris jus dicente. In altera lege vero et de fi-*  
*lio*

lio in causa Patris, et de Patre in causa filii jus dicente agitur.  
 Heic adducenda est observatio illa, quam §. 8. hujus Capitis inculcavimus, quod scil. multum interfit, an Judex in propria causa judicet, sive an suspectus sit; illo enim casu sententia ipso jure est nulla, hoc vero querela suspecti Judicis interponenda. Et in his fundanda est legum adductarum conciliatio. L. 10. ff. de Jurisdictione quippe loquitur de Patrefamilias judicante in causis filii sui, in patria potestate adhuc constituti et reliquae familiae suae, uno verbo in propria causa a. l. 1. §. 11. ff. quando appellandum: commodum enim vel incommodum familie ad Patrem-familias suo nomine pertinet, hinc et sententia de causis illius lata ipso jure nulla est, L. 10. ff. de Jurisdict. et l. un. C. ne quis in sua caus. L. 77. ff. de Jud. vero continetur, quod filius patrem, et pater filium in negotiis privatis Judicem habere possit, hoc ita explico: filius patrem Judicem habere potest, si sit emancipatus, hic enim sibi acquirit, non patri, igitur propria patris causa non est, si causa filii controvertitur. Sed objicis, suspectus tamen est! concedo, sed §. 8. jam demonstratum, quod et si suspectus judicet, judicium tamen subsistat, si pars altera, de cuius praedictio agitur, querelam non interponat, et sic per indirectum consentiat. Exinde est, quod Huberi sententiam veritati inter reliquas proximam esse afferui: Alter casus, quo filius patris Judex esse potest, eodem modo explicandus, scilicet sub conditio-ne, si querela suspecti non interponatur. Hae leges itaque non obstant sibi, differentia modo casuum diversorum, de quibus lo-quuntur, probe observata. Quin tamen quodammodo intricatae leges hae videri possint, non nego; hinc tot discrepantes Doctorum opiniones, et Wiesenbachii apud Hub. loc. cit. illas ad rectae rationis trutinam revocantis exclamatio: Hae conciliati-ones infirmiores sunt, quam ut arietem sustinere valeant. Mihi etiam in hac quaestione Jcti dissensisse videntur.

## §. XI.

Cum contentiosa Jurisdictio species civilis jurisdictionis sit,

D 2

eidem

etidem semper cohaeret potestas publice statuta et judicata modica coercione tuendi et exequendi, l. 1. §. f. l. f. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. est Jurisdict. quae apud Romanos mixtum imperium dicta fuit. Cum itaque Judex citatum à se reum, contumacem vero et fugitivum personae suae prehensione detineat, aut captis bonis eum redire cogat, non potest dici, ipsum sua in causa judicasse, facit enim, quae officii sui sunt, hinc et Judex e nomine injuriam perpetrasse dici nequit. l. 13. §. 1. et §. 6. ff. de Injur. quia juris et officii executio nihil injuria habet, quod si tamen excesserit Judex in officio suo, nihil prohibet, quo minus injuriarum possit conveniri. a. l. 15. §. 32. ff. de injur. Porro si Judex mulctam indicit etiam sibi aut fisco suo applicandam, v.g. olim in Albi corrupti actione, quod hodie applicatur ad decreta publice affixa, ludibrioque habita, et pro consequenda multa, pignora capiat, aut se in bonorum possessionem immittat, male dicitur, eum sua in causa Judicem extitisse, secundum ea, quae supra adducta sunt. Evanesceret certe, si ea, quae Judicis officio continerentur, sub praetextu hoc ab illis ablata essent, omnis judiciorum auctoritas et elusoria redderetur, cum nec dignitatem suam tueri, nec sententias suas exequi Magistratibus liberum foret. Et quanquam non nego, durum quodammodo videri, si Judici cognitio relinquitur, in causa, qua sium versatur commodum, ut in casu modo adducto, aliquis pluribus, v.g. si haereditatem indigno auferat et fisco suo applicat t. t. ff. et C. de his. quae ut indign. l. 1. pr. ff. de jure fiscis, quippe in quibus idem ferme philautiae periculum subest, ac si causae emolumen- tum privato nomine ad eum spectet. Nihil enim interest, an commodum aliquod privato an publico nomine acquiramus, si scil. rationem suspecti Judicis, vel plane prohibiti in depravatis ejus affectibus ponamus. Qui enim summa cum avaritia alienis opibus acquirendis tanquam privatus inhiat, is Judex factus tantum abest, ut unguis suas cohipeat ab injusta acquisitione, ut potius metuendum sit, eum autoritate publica stipatum proterius multo eas esse prolaturum. Saltem quisque cordatus facile

cile fatebitur, quanta qualiaque iniustitiae documenta hoc respectu in foro quotidie edantur. Interim tamen cum Judices sint personae utcunque graves, facio insuper jurejurando ad officium bona fide administrandum obstricti, quod pecuniarum aliudque ob emolumentum leviter transgredi non presumuntur, fides eorum non facile vacillans reddi, aut plane interverti debet, quod si tamen contrarium appareat, nil vetat, quo minus coram superiori Judice pars laesa suspecti agat, laesio nem suam deducat, et a laedente Magistratu damni dati restitutionem exigat: si autem a supremo Judice hoc casu praejudicium sibi pars litigans factum esse credat, non superest aliud remedium, quam consuetum illud supplicationis, quod pro moribus regionum varia nomina sortitur, et in requisitis suis ex parte variat. In Camera Imp. obtinet revisio *Ord. Cam. p. 3. t. 1.* si sententia sit ex culpa negligentiaque Assessorum vel Procuratorum data; si vero ex dolo, corruptione aut affectu, qui casus noster est, Syndicatus agi potest, quod remedium etiam in jure nostro est fundatum, *a. l. 15. §. 1. ff. de Jud.* quo pars gravata Judicem male judicasse asserit, et propterea omnis damni restitutionem ab eo petit. *Ord. Cam. p. 3. tit. 53.* quae adio, quin in aliis quoque judiciis possit applicari, nullus dubito.

## §. XII.

Restant adhuc aliqui casus, quorum decisio ex antecedentibus fluit. Nimirum quaestio est, an Judex gravem sibi ut Judici illatam injuriam punire possit? ita ut non peccet contra *I. un. Cod. ne quis in sua causa*. Facilis est responsio ex *c. 1. de poenit. 6.* Potest enim judicare, cum talis injuria officium ejus directo petat, et igitur in publica, non in sua causa judicet. Quia tamen cum injuria Reipublicae privata quoque Judicis injuria conjuncta est, in qua aestimanda vindicta et ambitio obstant, quo minus homines aequa lance rem ponderent, hinc ad evitandam suspicionem Judex consultius egerit, si acta ad decisionem litis transmittat, ipseque non pronunciet. *Carpz. Proc. t. 3.*

¶. 4. n. 107. Hoc obtinet, si injuria sit notoria, si enim notoria sit, tunc ad Judicem, qui injuria peritus dicitur, non spectabit inquisitio, seu allegatus apud Coccej. *in Diff. de Jud. in sua causa th. 15.* judicat Gail. *Obs. 39.* id quod et ex supradicto c. 1. de poen. 6. colligitur. Tota quaestio, an Judex suam injuriam vindicare possit, distinctione inter civilem actionem et criminalem persecutionem sopia potest. Si enim Judex criminaliter punit injuriantem, tunc publicum interesse persecutus, id quod ei licet, si vero civiliter agit contra injuriantem, tunc cum publico privatum suum interesse conjunxit videtur, de quo ipse pronunciare non potest. Porro Coccej. *d. Diff. th. 16.* adserit Judicem in puncto competentiae fori ipsum cognoscere posse, quia ipsa Jurisdictionis qualitas agitatur, haecque publica causa non privata sit a. l. 2. §. 6. l. 5. ff. de Jud. Verum id ita simpliciter obtinere hodie haud affirmarim. In judiciis quidem ab uno Domino pendentibus, et ubi causas ad ea pertinentes determinati sunt, hoc facile concesserim, sed in locis, ubi plures concurrunt Jurisdictiones, quorum limites incerti sunt, hoc adserere velle, manifestam saperet iniquitatem; quilibet enim Judex augmentum suam capere Jurisdictionem alterius cum detimento quaeret, id quod et quotidiana exempla testantur. Secus est de fisco, utpote in cuius causis ipse Magistratus cognoscit et decidit, quamquam ex eo salario aliqua forte commoda capit. Quod olim quoque obtinuit, ubi Princeps fisco suo certos Praefectos dedit, Procuratores vel rationales dictos, qui in causis fisci ipsi cognoverunt. l. 2. l. 5. l. 6. l. 10. C. ubi caus. fisc. l. 2. in f. t. t. C. se adv. fisc. l. pen. C. ubi caus. stat. agantur. Plures adhuc textus citat Coccej. *Diff. de Jud. in sua causa th. 17.* Quoad judicium Camerale idem sanctum est Ord. Cam. p. 2. tit. 20. Quin autem laesiones his causibus quandoque emergere possint, nullum est dubium, hinc et si illae in aprico sint, nihil prohibet, quo minus suspecti agatur, et talis Judex rejiciatur. Si autem probatum speciale praejudicium non est, standum est jure communis,

muni, et propter causam officii sui ab ejus cognitione Judex secundum supra adducta rejici non potest.

## ¶ XIII.

Supra cap. 1. §. 2. quo generalia Judicis intienda erant, tam late eum supposuimus, ut etiam arbitrum eo retulerimus. Explicatus est §. 3. sequenti. Nunc an in sua causa obtainere possit, dispiciendum. *L. 51. ff. de rec. arb.* hoc simpliciter negat, desumpta ratione exinde, quod tale arbitrium effectu suo destitutum foret, nemo enim sibi imperare vel se prohibere potest. Sed qualis ratio? Si enim nemo sibi imperare vel se prohibere potest, tunc omnes homines impetu quadam necessario, non libero arbitrio agere assentur, tuncque omnis actionum moralitas, eorumque in autores suos imputatio, poenae praemiaque cessant. Ast responderi potest: verba haec sibi imperare et se prohibere ita simpliciter capienda non sunt, nec hoc de fonte moralitatis actionum nostrarum praedicatur, scil. de libero arbitrio, quod eo nobis imperare aut nos prohibere non possumus, sed haec verba juris solennia sunt, innuentia potestatem illam arbitri eminentem, qua in partes in se compromittentes gaudet, et quidem tanquam tertius. Et haec verba subintelligenda puto, tanquam tertius, in ratione *L. 51. ff. de rec. arb.* non enim video, si arbiter sententiam jam tulerit, quis effectus ad eam exequendam exinde sequatur, quod sibi imperare aut se prohibere non possit, cum primo libera voluntate sententiam suam implere queat, et dein execucio sententiae non apud eum, sed apud Judicem ordinarium sit impetranda. *a. l. 5. pr. C. de arb.* Uno verbo: sibi imperare, vel se prohibere idem est, ac sententiam ferre in sua causa, vel imperatoriam, sive prohbitoriam, id quod prohibitum est, cum contra naturam arbitrii sit, in quo tertius partium litigantium causa judicio suo intercedere debet. Is enim actus, quo rem controversam ipsius partis adversae arbitrio committo, compromissum non est, sed pacti aliasque conventionis nomine valebit. Quilibet h. m. sibi praejudicare potest, cum volen-

volenti non fiet injuria. Quod si filius in causa patris arbiter sit, subsistit arbitrium l. 6. ff. de rec. arb. non enim in propria causa judicat, quod prohibitum est l. 5. 1. ibid. sed in patris, et quamquam suspectus dici potest, sufficit tamen, quod libero consensu eum elegerit pars, cui praejudicium metuendum erat, et sic eum sibi suspectum non esse, per indirectum affirmaverit. Pater verò in causa filii familias arbiter in legibus non occurrit, quia cum filii familias adhuc in sua potestate sint, l. 4. ff. de his qui suū vel al. jur. ipse in sua causa arbitrium susciperet contra l. saepe alleg. 5. 1. de Rec. arb.

#### §. XIV.

Adductis iis, quae ad jurisdictionem contentiosam pertinere videbantur, supereft, ut nunc et Judicem in sua causa circa criminalia occurrentem sistamus. Ocosum heic duco innuere, quae differentia inter civilem et criminaliem jurisdictionem sive merum Imperium, de jure Romano sit, cum ultro constet, ad eam civiles causas, in quibus privatum agitatur interesse, referri, hanc vero in publicis causis occurrere et in reos criminum animadvertere. l. 1. ff. de publ. Jud. Stryk. Vs. Mod. t. de Jurisd. §. 8. Coincidit vero cum hac, altera distinctio, quae hodie ex moribus Germanorum vigeret, scil. in superiore sive altam jurisdictionem, et inferiorem sive bassam. Illa enim de crimini bus cognoscit, haec de causis civilibus et delictis levioribus. Stryk. Vs. Mod. t. de Jurisd. §. 6. et 7. Casus autem speciales jam determinare prout ad hanc vel illam referuntur, nostrum non est, cum scopus sit indagare, quomodo Judex in criminalibus in sua causa occurrat, quae tractatio absque illa determinatione absolvit potest. Antequam vero ipsam rem aggrediar, paucis praemonendum est, excludi hic *auto&duiav* illam, qua privatam persequimur vindictam, Judicemque proprium, in judicio publico judicantem supponi, non vero *ampro*prium, in sua causa sibi satisfactionem aut ultiōrem sumentem. Qualis est is, qui moderamine inculpatae tutelae uititur, occiditque adversarium,

rium, item Pater et maritus, ille filiam, hic uxorem in adulterio deprehensas interimens. *l. 24. pr. l. 25. ff. ad L. Jul. de adult.* Similiter, qui furem nocturnum, postquam id cum clamore testificatus est *L. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* enecat. *L. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Neque ergo hoc pertinet Privilegium illud terribile, quod Ludov. IV. Imperator civibus Noribergensisbus impertitus est, ceu vulgo assertunt, ut ipsis liberum foret, propria auctoritate liberos suos immorigeros in profluentem Pegnesi demergere, quae assertio alias quoque falsa est.

## §. XV.

Facile erit nunc transfigere de Judice in sua causa circa criminalia: doctrina enim hic proponenda ex antecedentibus fluit: Constat ex natura publicorum judiciorum, Judicem in sua causa criminaliter judicantem, nonniſ duobus casibus supponi posse. Vel enim ipſe Judex aliquid perpetravit, et de suis criminibus judicat, vel alii in ipsum deliquerunt, quorum delicta puniendo Judex officium ſuum interponit. Prior caſus, quo Judex in suis criminibus judicat, extra quaſtionem eſt: non enim hic ſolum de jure nullus foret, *l. un. C. ne quis in ſua cauf.* ſed et naturae et ordinis judiciorum publicorum repugnat, hinc non video, quo modo unquam talis caſus ipla re contingere poſſit. Delictum enim Judicis aut notoriū eſt, aut non notoriū. Si non eſt notoriū, Judex ad ſuum judicium illud trahendo, quod alias non licet, ſe non prodet; ſi vero eſt notoriū, iſi in ſua caufa judicium nullo relinquetur modo. Sed quid, ſi Judex delicti aliquujus confōrſ sit, et cum illud praeter criminis ſociis nemini liqueat, de eodem delicto judicet, annon in ſua caufa judicat, id quod contingere non poſſe, ſupra adſertum? Negandum non eſt, videri hanc caufam ad Judicem ſuo nomine pertinere, cum, ſi officio ſuo ſatisfacturus, delinquentes ad edenda conſortium criminis nomina cogat, *l. II. C. de teſtifi.* et ſuam caufam publicet, cum probabile non ſit, eos alii melius velle eſſe, quam ſibi, ſi in eodem reatu conſtitutus ſit, conſortes vero ſi abſolvit à judicio, et ſe a ſuo crime abſolvere videatur: Verum haec caufa per

E

conſe-

consequentiam quidem Judici emolumento vel damno est, sed revera proprio nomine, quod heic latitat, ad eum non spectat. Praeterea etiam, cum Leges captum hominum excedere non debeant, facti autem tertii scientia absque mediis acquirenda captum nostrum superet, per se quaestio cessat. Vnde, si emanaverit, Judicem in sui delicti complices inquirere, et ipse a cognitione mox removebitur, et delinquens Judex forum competens sortietur. Quin quandoque tamen haec secus fiant, praesertim si Judex autoritate polleat, et nemo eum accusando crabones irritare velit, illud cordatis ex lubrica rerum humanarum compage ultro liquet, fierique de facto, non de jure. Constat ergo in sua causa neminem criminaliter judicare posse. Exemplum enim illud Zaleuci, qui edixerat, ut omnis adulterium committens, ambobus oculis orbaretur, et filium criminis convictum puniverat ita, ut filius oculo uno, pater vero altero coecaretur, cum filius juventutis Princeps ingentis expectationis erat, quamquam, inquam, hoc exemplum magni rigoris est, hoc tamen non pertinet. Non enim quia in causa filii judicavit, sequitur, ut in sua judicarit; neque oculus sibi ut effodiatur pronuncianto, in sua causa pronunciavit, cum ejus causa esse criminalis non possit, qui nihil deliquit, uti hic Zaleucus. Illi porro, qui occurrunt in tit. ff. de Bon. eor. qui ant. sent. mort. s. conf. ante sententiam latam, se ipsos interitementes, Judices in sua causa criminales non sunt. Horum enim officium est publicum, et Legibus determinatum, hi vero ut privati desperatione utcunque adacti mortem sibi conscient: inde Judices eo sensu, qui noster est, in sua causa criminali dici non possunt.

### S. XVI.

Alter casus, quo Judex judicat in causa reorum in se delinquentium partim affirmandus, partim negandus est. Repetenda enim hic est dist. §. 11. allata, an Judex in causa sua privata, an in causa ratione officii ad eum spectante, sive publica pronunciet. Primo casu admittendus non erit, l. un. C. ne quis

*in sua c.* Omnes enim homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, ira vacuos esse decet: haud animus his officientibus verum providet. Et cum judicium civile in propria causa institutum nullum sit, cur non et criminale, in quo majus praejudicium parti gravatae metuendum, cum in illo ut plurimum res agitentur, in hoc quaestio de poena corpori infligenda aut vita adiuncta sit. Tergiversari igitur poterit reus criminalem Judicem, quem laesit, siquidem laesio ejus privatum interesse tangat, v. g. quando Judicis rem furtive contrectavisse, ejus aedes combussisse, cum uxore ejus adulterium commississe dicitur, et ad alium Judicem, cuius propria non sit haec causa, provocabit. Quod si tamen reus artibus Judicis offensus impeditatur coram Judice non suspecto defensionem suam suscipere, hocque modo ex nutu Judicis sua in causa judicantis supplicium subire tenetur, gravius forte quam ipse meruit, qui casus re ipsa saepe accidit, tunc divinae providentiae hoc relinquendum, nec facile ad decentatum illud remedium Citationis ad vallem Josaphat delabendum. Hoc enim uti sacris in literis fundatum non est, ita et vindictam spirat. Si enim injuste Judex judicavit in rei causa, poenam summi Numinis suo tempore incurret Judex, neque opus est citatione a parte adversa impetranda, aut provocatione facienda, cum rationes humani alicujus judicij circa supremum illud locum non inveniant. Jam vero vindicta ex hypothesibus Christianorum est interdicta, praecipue iis, qui jam in agone constituti sunt. Haec enim Judex in causa sua privata criminalis, nunc de eo quoque dispiciendum, qui criminaliter judicat in sua causa, sed non privata, bene tamen publica, h. e. ratione officii ad eum spectante. Causas ratione officii ad Judicem pertinentes civiles supra h. C. §. 11. vidimus, eumque hic pronunciare posse asseruimus: non secus erit ergo in criminali judicio, cum eadem quoque ratio subsit, scil. quod causa non sit Judicis propria, sed officio ejus annexa, quod coniunctam habere debet potestatem, laudentes se coercendi, cum alias foret elusorium. Subiecta erunt ergo quedam exempla illustrandae regulae.

Tale est, si Judex gravem et notoriam ratione officii sibi illatam injuriam vindicat. *c. 1. de poenis 6.* dum reum forte relegat, aut virgis caedi jubet. Porro si in ministros suos, comparitores aliosque negleatum ob officium animadvertisit, eos carceri includendo, aut aliter puniendo. Judex tamen his casibus prospiciet sibi, ne injuste procedat, aut graviores poenas irroget reis quam meruntur, alias incidit in Syndicatum Carpz. *Pr. Crim. qu. III. n. 70.* quae querela poterit institui, si se gravatum reus adserat. Praeterea et injuriarum quandoque laeso contra Magistratum dabitur actio. *a. l. 32. ff. de injur.* si officio suo extra terminos functus est, v. g. Si Judex patrocinantem contra se ex sola hac ratione in carcere rem conjici faciat, *Mev. P. 1. Decis. 155.* Quid autem si criminalis judicii reus crimen commiserit, quo et officium Judicis et ejusdem persona immediate laeditur, si v. g. reus, quia execu-tio in eum decreta erat, Judicem eam decernentem venenatis chartis interimere velit, quod fatum summo belli Duci Eugenio Francisco Sabaudiae Principi ab hostibus anno abhinc elapsu paratum constat fuisse. Hoc casu distinguendum putem, an factum notorium sit, an secus. Si enim notorium non sit, Judex apud se de eo pronunciando, et accusatoris privatam et Judicis personam publicam sustineret, quod contra judiciorum ordinem est, et in sua causa privata judicaret, contra *l. un.* *C. ne quis in sua cauf.* Si notorium est crimen, v. g. si chartae veneno infestae Judici praesentibus Adsefforibus sunt porrectae, poterit quidem Judex de jure stricto hac in sua causa judicare, cum nullaratio obstet; inquisitione enim in facto notorio opus non est, et poena in beneficia legibus statuta est, salva tamen erit reo ad alium Judicem provocatio, si se gravatum probare possit, v. g. quod poenam justo graviorem irrogavit Judex, aut si alleget, sibi mortem ante a Judice intentatam esse, secundum ea, quae supra dixi.

CAP.



## CAP. III.

## §. I.

**R**estant adhuc Judices in propria causa respectu ad civiles legum constitutiones non habito, occurrentes. Ergo Judex hujus Capitis non idem erit cum illo, qui in praecedentibus sistendus erat, cum hic civilis, ille vero naturalis sit. Patebit quoque inde Judices in sua causa hic sistendi, v. g. Principes, gentes et Collegia impropre Judices appellari. Ut pote Judex hic nihil aliud est, quam is, qui ex judicio suo causam suam definit. Nullum enim judicium proprie tale in sua causa unquam obtineri posse, supra est occupatum. Sed ad rem ipsam devenio, an Princeps in sua causa Judex esse possit indagando. Certum est Jus Majestatis, quod Principi inheret, eundem et omnibus legibus civilibus eximere, nisi quantum privato illis se submittit, et eundem sibi et ipsi alium quemdam sententiam proprie dictam ferre non posse, cum sententia superiorum requirat, superior vero se nemo sit, summumque Imperium, quod in Principe occurrit, superiorem alium non ferat. Ergo in Principi causa nemo jure proprio poterit judicare, neque tamen Princeps ipse in sua causa proprie pronunciare. Quid ergo heic consili? Potest Princeps de sua causa judicare, a. l. 3 ff. de his quae in test. del. l. 41. ff. de Haer. infit. quia res aliter non capit exitum. Praeterea quoque ipse Legibus humanis solitus est. Verum non potest Princeps judex insua causa sententiam ferre; non enim divinis, naturalibusque legibus solitus est, secundum quas judicium in sua causa validum nullo modo reddi potest, quod Cap. 2. §. 2. probatum est. Hinc errant Dd. Hub. Prael. ff. de Judic. §. 7. Gothofr. in not. ad t. t. C. ne quis in sua causa. Brunnen. ad eund. t. qui argumento supra allegatarum Legum Principibus in sua causa judicium adserunt, iisque §. ult. f. quib. mod. testam. infirm. item l. 8. §. 3. ff. de alienat. mut. jud. c. tanquam justae a Principe in sua causa latae sententiae exempl.

plum commendant. Vt enim id ineptum est, partes summi Imperii ex Legibus civilibus definire, ac<sup>tusque</sup> Principum iis exemtos exinde adstruere velle, ita etiam tale judicium, nunquam subsistit, sed nullum est, cum eadem ratio in Principe Judice, quam in privato occurrat, positioque haec Juris Naturae sit, quae etiam Principem obligat. Quid enim naturalius, quam quod ob philautiam quis a judicio in sua causa suspendatur? et quod ad judiciorum ordinem attinet (quae duo fundamenta sunt, quibus nullitas Judicis in sua causa innititur) is quoque naturaliter suppositus, quod probari opus non est, tollitur, una persona Judicem et partem alteram simul exprimente. Si itaque Princeps judicat in sua causa, parte, cui praejudicium metuendum, consentiente, improprije judicasse dicitur, merusque actus hic privatus est, quo Principis generositat<sup>i</sup> pars controversiam rem terminandam commisit, id quod etiam inter privatos licet. Si vero Princeps parte invita in sua causa pronunciavit, haec via facti est, non juris. Quid ergo Principi causam cum privato habenti incumbit? Distinguendum hic est, an causa, quae Principi est cum privato, tangat dignitatem ejus, quae in regalibus se exerit; an civile tantum interesse, quod Princeps cum aliis privatis hominibus commune habet. Primo casu ipse causam decidit, sed non ut Judex, sed tanquam Princeps: ratione officii enim hoc ipsi incumbit, ut animadverteret in eos, qui hoc laudent. Hoc sine enim Princeps constitutus est, ut prospiciat, ne Res publica damni quid capiat, et media ei fini consequendo apta interponat. Abstrahere igitur hanc potestatem à summo imperio, idem foret, ac illud elumbe et elusorium reddere, quod constitutarum rerum publicarum civitatum indoli repugnat. Altero casu, quo Princeps de civili interesse cum subdito controvertitur, ipse invita parte altera pronunciando, contra naturae leges impingit, secundum modo adducta: hinc causam Judici non suspecto, consentiente parte altera delegare debet, quod etiam procedit, si pars altera sine justa causa delegationem hanc acceptare nolit, qui dein controversiam componat. Neque obstat, quod Judex su-  
perio-

superiorem Principem non possit obligare aut exequi, quodque sic ejus judicium sit elusorium; Judex enim Principem non obligat, sed naturae leges, ut juste suis cum subditis agat; hinc quoque si delegatus Judex aequaliter sententiam tulerit, qua Princepsflare recusat, ea quaestio nostra non est, cum hic actus Principis jure suo abutentis seu Tyranni sit, nobis autem propositum fuerit monstrare, quomodo Princeps bonus suas causas componere possit, ut naturae leges non incurrat. Id quidem verum est, quod, quamvis Judex delegatus judicet, illud ex autoritate Imperantis fiat, verum usurpatio aucta nominis Imperantis in se suspecti nihil habet, et res alio modo exitam habere non posset. Hoc modo explicandas sunt *l. 3. ff. de his, quae in test. del. l. 41. ff. de Haer. Inst.* ibi probabile enim est, non Imperatorem ipsum, sed JCTum aliquem auctoritate Imperatoria stipatum judicasse.

### §. II.

Quid autem si bini Principes litigent, an alteri horum aut ambobus licet in sua causa pronunciare. Distinguendum est, an hi Principes sint Convasallii, an tales, qui non nisi Deum et ensem se superiorem recognoscunt, quos independentes vocant. Circa convasallos quaestio cessat; hi enim forum suum apud Dominum feudi et Pares Curiae fortiuntur *z. F. 5. §. fin.* etiam invitati. Quod forum in Imperio partim solus Imperator constituit *O. C. p. 2. tit. 7.* partim Judicium aulicum et Camera. Ex privilegio peculiarem instantiam Austregas Imperii statutus habent, quarum definitionem vid. *Cap. 1. §. 3. in f.* Si tamen occurrat, ut Dominus feudi ipse cum vasallo rem habeat, non is judicat, sed rem Paribus Curiae terminandam relinquit. *Struv. c. 16. th. 6.* Principes absoluta potestate gaudentes in sua causa pronunciatores quod concernit, neque is licet h. m. Judices esse, cum, quod saepe jam adserui, illud possibile de Jure non sit. Hinc si Princeps alterum laeserit, laesusque injuriam tanti aestimarit, ut eo nomine bellum denunciaret adversario, non potest dici, quod

sibi

sibi Jus dixerit, bene tamen, quod vindictam sumiserit. In casu quoque denegatae satisfactionis si Princeps alter alterum justo bello petat, et causas ejus quas sonticas habet typis expressas in publicum evulgat, non potest dici, quod ea promulgatione sibi jus dixerit, nullus etiam Judiciorum ordo hic occurrit, sed modus hic est extraordinarius, negligentem viam ordinariam adversarium ad laesione resarciriad compellens. Ordinaria autem illa via regulariter est arbitrium causas illustres componendi, aliud etiam heic judicium non occurret. Hoc in duas rursus partes poterit dispesci. Vel enim Principes controversias suas privatis vel Principi aliis componendas tradunt. Prioris casus exemplum adest, in divisione regni Francici inter Ludovici Pii filios, Lotharium, Carolum et Ludovicum, qui limites controversarum portionum centum peritia et integritate conspicuis viris commiserunt. Alterius nuperrimum exemplum est, controversia illustris, quam Dux Aurelianensis Sereniss. Palatinatus Electori movit, sub initium hujus Seculi Clementi XI. Romano Pontifici arbitrio suo componendi commissa. Quod Principibus haec tenus adsertum est, id quoque Rebus publicis liberis poterit applicari, nihil enim interest, an unus an plures exercendo summum imperium actiones civitatis ad praefixum scopum consequendum dirigant.

### §. III.

Nec Principem in sua causa de jure sententiam ferre posse §. antecedens adseruit. Facile tamen perceptu est, hoc adsertum tam firmis non gaudere terminis, quin a Principibus sagipius perfringantur. Illustrum exemplum occurrit Principis in sua causa Judicis in hodierno Gallorum Rege Ludovico XIV. Disceptabatur inter ipsum et Imperium Romanum de explicacione Instrumenti Pacis Westphalicae. Scilicet *Instr. Caeſ. Gall. §. 75.* cessa sunt Gallo Landgraviatus superioris et inferioris Alsatiæ, Suntgovia, Praefectura Provincialis X. Imperialium Civitatum in Alsatiâ sitarum, item oppidum Brisacum. Circa haec omnia Impe-

Imperium nihil aliud translatum cessumque voluit, quam quod ad domum Austriacam spectasset, ideo supremum jus circa cessas ditiones sibi integrum illibatumque mansisse, adserebat. Vid. lit. statuum Imp. ad Regem Galliae. Londorp. Tom. 6. l. 3. c. 255. et 261. Gallia vero supremum jus in loca Instr. pacis expressa cessum sibi ab Imperio contendebat. Dein quoque cum Gallis cessi essent Episcopatus Metensis, Tullensis et Virodunensis, Gallia insimul in omnia ab his dependentia feuda jus quaevisse praetendebat, Imperium vero quoad feuda extra trium Episcopatum ditionem sita id negabat. Kulpis. ad Monzamb. Cap. 2. §. 1. Ventilata est haec controversia via ordinaria coram arbitris in Comitiis Ratisbonensibus. Verum bellum mox A. 1672. intervenit, quo Rex Galliae loca controversa ut plurimum armis occupavit. Pace Noviomagensi A. 1679. conclusa, cautum erat, articulo ejus secundo, ut Pax Monasteriensis restitui in omnibus et singulis suo pristino vigori suberetur. Vi hujus dispositionis Gallus pro se decisam esse judicabat controversiam, et cum id negaret Imperium, Cameras Reunionis, quas vocant, binas, Metis et Brixiaci erexit. Erant autem hae Camere Reunionis Collegia Jurereconsultorum, a Rege Galliae constituta, ad id, ut ejus jura in controversa loca examinarent, et sententiam pro Rege suo ferrent, quam is deinde vi exequi posset. Ex descriptione statim apparent, non mereri hoc Collegium nomen Judicij. Nil enim, quod ad Judicij essentiam requiritur, hic occurrit. Hinc ridiculum erat, quod cum Status Imperii de injusto processu, quo Gallus partis et Judicis personam sustinuit, quaererentur, Rex ipsis revisionem offerret in literis d. x. Octobr. An. 1680. ad Conventum Ratisbonensem datis. Quam revisionem quoque Imperii Status in replica sua de die 7. Febr. 1681. non acceptarunt. Literae ipsae extant apud Kulpis. loc. alleg. Scilicet Ludovicus XIV noverat exemplo Justiniani Principis, majestate et armis et legibus instructam esse opertore. Hinc postquam armis suis, pluribus Europae partibus per octennium ludum Tra-

DOP

F

gicum

gicum spectandum adornarat, materia iuridica e legum scientia de promta, loco Exodii Attellanici Tragoediam claudere necesse habuit. Quam inconcinnus vero hic processus erat, edidere tam haec Collegia arresta sua, quae quoque statim in rem quasi iudicatam abierunt et executioni mandata sunt, summa cum Imperii injuria. Arresta ea autoritate Regia Parisis prodierunt A. 1681. cujus libri titulus allegatur apud Kulpis. saepe citatum. Composita est postea Anno 1684. controversia ad interim in comitis Ratisbonensibus, et in Pace Ryswicensi. Sed his non obstantibus, cum manifestum est, Cameras Reunionis Imperium summa cum injustitia laesisse, operae foret pretium disquirere, quomodo Imperium satisfactionem omnimodam fractis jam Galliae rebus consequi possit. Indagando scil. in quantum Talionis Jus inter gentes obtineat, ut quemadmodum Galli statim post factam pacem Cameras suas condidere, ita et Imperium post instantem pacem, talia collegia erigat, quibus dependentias suas et priscos fines injuste ablatos examinandos committat, et sententias ab illis latae victricibus Foederatorum armis stipatum, executioni, quod et Gallia fecit, committat. Seque certe incuset Galliae Rex, quod malum inventum inventori pessimum sit, et, quod Juris in alterum statuit, alii in ipsum eodem jure utantur. Sed de hoc alii dispiciant latius.

#### I. IV.

Collegia et corpora an suis in causis judices sint, porro dispiendum. In licita et illicita ea dispesci, hoc supponitur, exinde quoque fluit, quod cum illicita collegia absque approbatione Reipublicae ineantur, illa judices nullo modo esse possint, et de iis quaestio cessa, cum Collegiorum, quibus causarum ad se pertinentium cognitio competit, autoritas ab expreſſo vel tacito Imperantis consensu pendeat. Hic autem se exerit in collegiis licitis, quorum jura et potestatem si cognovimus, facilis exit quaestionis propositae decisio. Ad eam autem nihil facit,

quod

quod collegia statuta facere possint in rebus suaē professionis, quae non derogent juri publico, aut eo jure prohibitae sint, et quod si statuta publicis legibus aut Reipubl. statui contraria condant, ea invalida sint, Brunnem. ad l. f. ff. de Coll. et Corp. item ad l. ult. C. de Jurisd. n. 2. 3. quorum exempla occurunt in Reform. Polit. de A. 1577. tit 38. Hinc hoc Collegiorum jure reacto, ad aliud, quod hujus loci est, devenio, indagando quaenam iis Jurisdictio competat. Vulgo asserunt Jurisdictionem illis competere in negotiis collegii propriis, et quae ad collegium illud proprie spectant, l. fin. C. de Jurisd. quae quidem recte se habent, et in hypothesi facilius, quam in thesi intelliguntur; sed quod addit Brunnem. ad l. f. ff. de coll. et corp. citatique ab eo Carpz. *Jurisprud. For.* p. 2. c. 6. def. 9. Richter dec. 3. Mev. p. 1. dec. 38. n. 10. Collegiis hanc jurisdictionem non ex speciali concessione, sed jure proprio competere, non est approbadum. Verum id quidem est de Collegiis extra Rempublicam constitutis, utpote quae naturali sua libertate gaudent, de his tamen sermo locis citatis non est. Quod vero collegia in Republica constituta Jurisdictionem suam non jure proprio, sed ex concessione Imperatoris habeant, hoc exinde probo, quod omnis Collegiorum auctoritas ex modo datae ab Imperante approbationis pendeat, quod nemo negat. Nam vero dari potest ab Imperante approbatio solum in membrorum collegii conventicula, inque deliberationes ibidem instituendas et statuta de rebus sus condenda, ita ut sibi reservet jus, horum statutorum contemtores coerendi, de illis cognoscendi, et forte multandi, quod Imperantem facere posse, exinde, quod actiones subditorum ejus arbitrio subsint, Reipublicae bono attemperandae, iterum est evidens. Si vero Collegium datur, et esse potest, ita ut Jurisdictio eidem desit, id quod probavi, cessat etiam illud assertum, quod Jurisdictio collegiis jure proprio competat, si enim jure proprio competeteret, omnibus collegiis Jurisdictio necesse foret adesse. Sed redimus ad propositum. Si itaque Collegium ex concessio-

§ 44.

ne Imperantis jus habeat Jurisdictionis , cuius momenta et limites exinde quoque sunt aestimandi , num et in sua causa judicat? Facilis erit responso , consideratis iis , quae suprajam annotata sunt. Suae causae enim vox hic denotat eam causam , quae instantiam suam apud collegium fortitur , hocque respectu quilibet Judex potest dici , judicasse in sua causa , quae sicut ad forum ejus pertinuit. Eo sensu ergo adfirmari potest , collegia in suis causis esse Judices , scil. in eis , quarum cognitio ex concessione Imperantis ad collegium pertinet. Si enim Collegium controvrtatur cum extero , vel etiam cum membro collegii , ita ut controversiae damnum vel lucrum ad collegium suo nomine spectet , caue extra limites suae potestatis sit , per se patet , illud hic judicare non posse , sed in competenti foro vel agere vel conveniri debere. Quod tamen de facto Collegia autoritatem suam cum decremento ordinariae Jurisdictionis incrementum capere velint , hincque etiam in causa proprio jure ad se spectantibus contra t. t. C. ne quis in sua causa judicent , illud experientia facile comprobatur. Ex supradictis autem jam constat , quod talis sententia sit nulla , quodque laeso integrum sit , Magistratum ordinarium adire , ad resarcendam Collegii injuriam sibi factam. Jurisdictionis enim Collegio concessae ea indoles est , ut cumulative , non privative competit , hinc ad Judicem ordinarium semper regressus datur , et in casibus non exemptis ad illum provocare licet.

§. X.

De Collegiis et Corporibus §. praecedente adserebatur , ea autoritatem suam omnibus modis propagare , hincque saepe etiam sua in causa judicare contra l. un. C. ne quis in sua causa . Clarius exemplum inveniri puto nullum , quam in conciliis , utpote quae sunt apud Christianos certo respectu collegia , proprie conventus additorum Christianae Religioni , qui convocati sunt ab eo , qui jus convocandi habet , ad declaranda religionis suae capita ,

pita, aut ordinandam disciplinam Ecclesiasticam etc. Quod vero haec concilia in sua causa judicarint, id potissimum de habitis apud Pontificios Concilis intelligendum est, apud Protestantes enim Concilia in desuetudinem fere abierunt. Id antequam probem, prius dispiciendum, quamnam Jurisdictionem exercere possint concilia. Homines in conciliis congregati singuli in se considerati jurisdictione nulla gaudent, ergo autoritatem suam, quam in conventu exercent, ab alio necesse est proficisci. Haec autoritate sua judicant de rebus ad ordinandum externum Ecclesiae habitum necessariis, de Ceremoniis, de formulis fidei, quas profitentur concipiendis, aliquis Adiaphoris, hanc autem autoritatem a nemine possunt acquirere, nisi qui illam ipse habet, ergo necesse est, ut Concilia suam autoritatem a Summo Imperante habeant, quod intelligendum de Conciliis in constituta Republica habitis, nemo enim alias hac autoritate gaudet. Quod enim Pontificii Pontifici hanc potestatem tribuant, illud jamdudum explosum est, cum assertio illa praeterito Papae Vice-Deatus nitatur, qui in rerum natura non est: praeterea aequi absurdum est, illam probare ex Act. Apost. XV, ex quo capite nihil sequitur, quam quod illi, qui religionis maxime gnari sunt, Conciliis sint admovendi. Cum itaque jus Conciliorum penes Rempublicam sit, eorumque autoritas ab illa dependeat, Tit. Probe des Deutschen Geistl. Rechts. l. 1. c. 4. §. 9, hinc omnis processus, qui coactionem conscientiarum involvit, ipsis dene-gandus est. Nemo enim in alterum plus juris transferre potest, quam ipse habet. Conscientias autem cogendi potestas nulli hoc in mundo competere, sed eam solum Numen sibi reservasse, ex indole humanae mentis clarum est. Nisi quis probaverit D EVM concilii potestatem conscientiis imperandi delegasse, quod autem impossibile est. Ex his patet, quod primo in Conciliis clerus sibi arrogat potestatem impie de rebus ad se non pertinentibus judicandi, quando suas de religione opiniones conscientiae reorum, vi, tormentis, carcere vel ipso

vitae dispendio imprimi jussit, cuius exemplum Joh. Huss. et Hieron. Pragensis loco omnium sit. Dein aliud vitium Conciliorum, quod hujus loci est, occurrit, scil. Judicem et accusatorem utcunque in una persona moraliter extitisse, hocque modo inuste cum reo rem esse gestam, qua de re extat judicium Gregorii Nazianzeni apud Grot. de J. B. et P. cap. 7. §. 7. item quid Optatus senserit Lib. 5. adv. Parmen. de Conciliis: Quaerendi, inquietis, sunt Judges, ab utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. Quam regulam Optati in Concilio Arelatensi Orthodoxos in Processu contra Donatistas non obser-  
vasse, monstrat Thomas. Füsten Recht pos. 2. §. 12. qui ibidem quoque adserit, eundem modum procedendi, scil. quod Clerus in sua causa judicarit, in omnibus Conciliis occurrere, quod ope-  
rae pretium foret, ut quoad singula Concilia ex historiae Eccle-  
siasticae monumentis, ad fraudes callidi tum cleri detegendas,  
et Religionem vindicandam, quis demonstratum iret; heic certe  
faber materiae deest, materia fabro non deerit. Ex ante dictis  
et ex lubrica rerum, humanarum compage facile cordati collig-  
ent, posse et apud omnes Religiones in conciliis suis clerum  
in sua causa judicare, et eisdem cum Clero Pontificio vitiis sca-  
tere. Sed manum de tabula, hoc enim tutius  
experientia, quam literae docent.



Die

**D**ie Schlang im Paradies hat alle Welt  
betrogen /  
**D**a sie die schönste Frucht der lüstern  
Eva wiesz /  
Und eine Himmels Krafft dem Apfel angelogen :  
Der sollte Gottlich seyn / der in was irdisch  
wiesz /  
Raum sah man Eva mit sich der Eigen-Lieb an-  
massen /  
So mußt sie vor die Frucht den ganzen Garten  
lassen.

So gehts offt bey Gericht. Der Advocate nöh-  
tet  
Und streichet den Proceß mit scheinbarn Farben  
an /  
Wie Evens Apfel war von Purpur-Saft geröhtet;  
Hat aber der Client den Biß darein gethan?  
So gehts gleich Even ihm / da er nach fremden  
ringet /  
Und durch die Philautie sich um das Seine bringet.  
Wie

Wie Recht und Eigen-Lieb sich nie zusammen gat-  
ten/  
Stellstu mit Kunst und Fleiß an einem Richter  
vor.  
Ich wünsche Glück dazu: und daß der Tugend  
Schatten/  
Die Ehre / öffne Dir nach Würden Thür und  
Thor;  
Jedoch ich darf jetzt nicht zu deinem Lob was dichten:  
Ich dörft in eigner Sach dem Recht zwieder-  
richten.

Seinem hoch-geschätzten Herrn Vettern  
wollte hiemit seine Obliegenheit bezeugen

Simon Tobias Wölker.  
LL. Cult.







Aldorf, Diss., 1708/09



3

TA → OL

num 1 + 13 verknüpft und f



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Yellow

Red

Magenta

3/Color

White

Black

Centimetres

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

Vol. xyiv No. 37.

3A/67

QVOD DEVS BENE VERTAT!  
INAUGVRALITER 1709  
**J V D I C E M**  
IN PROPRIA CAVSA  
EX DECRETO  
*MAGNIFICI*  
**JCTORVM ORDINIS**  
IN  
*ILLVSTRI NORIBERGENSIVM,*  
PRO CONSEQUENDIS  
SVMMIS IN JVRE HONORIBVS,  
DISSERET IN PVBLICVM  
**GEORGIVS CHRISTOPHORVS**  
**WOELKER,**  
NORIB.  
A. 1709. D. SEPT. L.S.T. 1.23

Literis MAGNI DANIELIS MEYERL.

6